

quibus victum et libertatem; adolescentes quibus eruditionem omnem, honestae atque afflictissimae viduae quibus alimoniam et solatium, periclitantes feminae quibus pudorem et decus, utriusque sexus pueri, quos sublimi Religionis doctrina ubique imbui diligentissime curavit: Vos quoque testes appello, pauperum turbae ad palatii fores accurrentes: vos, foeminarum congeries, quotidie ascensum et atria eiusdem domus occupantes: vos Ecclesiastici, vos iuvenes ac puellae, vos milites atque exules, vos omnes egestate qualibet laborantes ad communemque patrem freti nuper convenientes, vos inquam extitis nunc clementiae ac liberalitatis tanti Praesulis monumenta clarissima. Extremus denique ac locupletissimus sit testis magnifica illa, ampla et nulli prorsus secunda misericordiae domus ac beneficentiae, oculos demulcens olim, quam à fundamentis extruxit, quaque sua dumtaxat institutione nullum plane misericordiae opus fuisse, quod Antistes pietissimus incunctanter et libens non exercuerit, nullum calamitatis genus cui parens clementissimus cito non subveniret, liquet evidenter.

Jam vero miseros ad se confugientes benigniter excipere, sublevare iacentes, labantes confirmare, nunquam quiescere, quin etiam continenti labore maiores quotidie spiritus ad Ecclesiae incolumitatem servandam afferre, nova

quoque ad populorum salutem moliri maximaque celeritate perficere, millia innumera aetatum omnium et sexuum Confirmationis Sacramento et abstemius saepissime munire, grassanti occurrere impietati solertissime, Sacrosanctum Misae Sacrificium quotidie haud unquam vero nisi prius exomologesi sacra ablutus demississime, pro commisso sibi grege summa animi devotione offerre, omnia omnibus fieri, et sideris instar velocissimi undecunque advocatum per se vel per litteras veluti numen aliquod adesse, omnia invisere, omnia collustrare, videre omnia atque audire, sibi aliorumque consulere saluti et quasi in puppi sedentem rectum clavum tenere. Cuius est imago haec? Probe intelligite me non tam quid Ecclesiae Principem deceat statuisse, quam quis Ecmus. atque Illmus. D. D. JOANNES CRUX RUIZ DE CABAÑAS ET CRESPO fuerit adumbrasse, cuius magnanimitatem, castimoniam, iustitiam, caeterasque apostolicas virtutes fideles Guadalaxariae Dioeceseos stupentes intuebamur atque invicem talem Ecclesiae nostrae divino consilio Principem tam asperis temporibus gratulabamur contigisse.

Quae te igitur lingua, Joannes, quae vox satis dignè laudaverit, cum tanta tibi animi vis, aequitas et sapientia, tam celsa fuerit prudentia et mansuetudo, ut nemini profecto antecessorum

tuorum secundus videaris? Tua quidem virtute non quod tibi sed quod Ecclesiae Dei bonum, quod utile, quod praestans esse existimares id perpetim id cupide quaesieris, nec te summis laudibus libenter ac iucundissime extollemus? O utinam liceret mihi attingere leviter aut saltem adumbrare permulta, quae ut semel finiam conticesco, et quia singulari tua modestia prohibeor, sed me illa tacente saeculorum omnium fastus enunciabunt.

Ergo deflendi omnes ac maerendi causam habemus meritissimam. Siluit, amabo dehinque silebit aeternum, facundum eius atque mitissimum os, qui nos erudire, beare qui nos, qui nos insignibus exemplis informare ad verum decus, et immortalitatem sempiternam flagranti opera et studio enituit, quibusque illius recordatio iucunda est et manebit, neque tam maestos esse oportet eius discessu quam laetos ea praesentia, quae olim dum viveret fruebamur. Non equidem mancipio nobis à D. O. M. sed usu dumtaxat fuerat elargitus, hinc est ut et iacturam nostram et interitum eius minus aegre patiamur, qui vitam omni genere laudis accumulatam dimisit. Nam quod ad ipsius animam spectat, illa nimirum spoliis tandem corporis abiectis, ovans iam et exultans in suam patriam evolavit, ut pie credimus, eo impetu et cupiditatis ardore ut aegritudinis diutur-

nae quodammodo impatiens, corpus ipsum aegritudinemque fefellerit, ac nutantis vitae moram optata aeternitas occupavit. Reliquum est proinde ut sicut ille, quoad vixit, toto pectore salutem consuluit et incolumitati nostrae, atque in Coelis, uti speramus, omni iam terrenorum cura et molestia solutus pro nobis semper orabit, et nos vicissim si quid ei eluendum superest eius praeclara erga nos ipsos merita, assidua pietate et grata memoria perpetuo recolentes, sine discrimine omnes eum uti debemus vivorum et mortuorum Praepotenti Deo, apud quem nemo satis est iustus et insons, crebris commendemus enixisque precibus. Si tamen virtus animi, si fides, si incorruptae vitae integritas, postremo si quae cum pietate aguntur, beatam pretiosamque efficiunt mortem, nihil est quod haesitemus quin fortunata Joannis anima corporis nexum reliquerit et ad sedes coelestes sempiternis fruitura gaudiis sese triumphans extulerit.

Pientissimus antistes si quid humanum passus est, specie veri bonique deceptum errasse, rectam vero mentem illi numquam defuisse confidamus. Et si fato ad momentum occubuit, vivit autem, vivit in Coelis aeterna Dei visione beatus, vivetque apud posteros rerum gestarum claritudine, siquidem virtutum singularium memoria nullo unquam tempore intermoritura bonorum omnium linguis ce-

(34)

lebrabitur. Faxit itaque supremus Princeps ille pa-
cis et auctor ut qui divinam pacem iugiter concu-
pierat nobis omnibus, miserentis Dei pace per-
fruaturn sempiternâ.

ELOGIO *FÚNEBRE*

DEL EXC^{MO}. É IL^{MO}. SR. DOCTOR

D. JUAN CRUZ RUIZ
DE CABAÑAS Y CRESPO

DIGNÍSIMO OBISPO DE ESTA DIÓCESI

QUE

EN SUS SOLEMNES EXEQUIAS

CELEBRADAS

EN ESTA SANTA IGLESIA CATEDRAL

PRONUNCIÓ

EL DOCTOR D. JOSÉ DOMINGO SANCHEZ RESA

PREBENDADO DE LA MISMA

EL DÍA 20 DE MAYO DE 1825.